



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Jacobo Rospiglioso, Viro Maximo, Soteria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Quem longè ingenio præstantem, & moribus, ipsa
Diligit Invidia, atque hæc dignum sorte fatetur.

JACOBO ROSPIGLIOSIO,
VIRO MAXIMO,
S O T E R I A.

PArce metu Clio. Jam rumor læta secundus
Segusia de valle refert. Vis effera morbi
Cessit, & ille nocens venis deferbuit ignis,
Quo penè Itala res, & spes arferè Latinæ.
Jam solitum membris robur, jam pristinus ori,
Depulsâ macie, decor, & cum munere somni
Fax oculis tranquilla redit: rursusque rubentes
Incipiunt meliore genæ florere juventâ.
Non opis id, Natura, tuæ: nec gramina tantum
Marforum, doctæque manus valuère medentûm.
Prodigii auctores Superi. Virgo, inclyta Virgo,
Cui super Exquiliis lecto de marmore templum
Æstivæ posuere nives, nomenque dedère;
Ipsa laboranti præsentem (credite) Virgo,
Dum nostri miseretur, opem tulit. Ite sodales
Ordine quisque suo, niveis in vestibus, omnes,
Thure plate locum, facilesque in vota precantûm
Cingite fronde novâ, fertisque recentibus aras.
Dumque sua Exquiliis testati gaudia colles
Ære cavo, festoque diem clamore salutant;
Reddite vos Superis grates (nunc tempus) & almæ
Virginis alterno modulantes carmine laudes
Solvite, io! mecum Domino pro sospite, votum.

Tu

Tu verò, Jacobe, tui qui litus Eöum,
 Litus & Hesperium famâ jam nominis implès;
 Lux Mundi nova, lapsarum spes altera rerum;
 Augustam conscende ratem, quam Regius hospes
 Tantum abeunte dolens, quantum te sospite lætus,
 (Officium triste, & spectati pignus amoris)
 Ad caput Eridani sacrum se sistere iussit.
 I nostrum decus, i felix: huc dirige cursum,
 Sollicitosque diu de te solare Quirites.
 Aspice ut Eridanus Pater, ut tua iussa capeßat,
 Populeam acclinat frontem, placido amne serenus;
 Teque jubens salvere, sinum tibi pandit amicum!
 Fluviorum Rex Eridanus, qui flumina centum
 In mare fert, centum magnas præterfluit Urbes.
 Is te, ne tardere vadis, collectus in undas
 Accipiet venientem, & devehet amne secundo,
 Piscosis quâ pulcra jacet Ferraria campis,
 Musarum domus, & niveis olim hospita cynis.
 Accipient unâ, fortunatamque carinam
 Deducent fluvio certatim dona ferentes,
 Abdua (nam cohibet saxa inter Cottia lymphas
 Digressuque tuo mæstus caput occulit antro
 Duria) Ticinusque cruori assuetus & armis
 Olim, nunc tacitus, purâque argenteus undâ:
 Lambrusque, & velox Scultenna, atque Ollius ingens,
 Et frâni impatiens Tarus, & quem Felsina mittit
 Rhenus inops undæ, nisi cùm nive turgidus exit
 Hybernâ sternens hominumque boumque labores,
 Stura, Orgusque rapax, fatus & Benacide Nymphâ
 Mincius, ille sacris dilectus oloribus amnis.
 Interea Heliades stantes in margine ripæ
 Adventum ratis expectant, tibi ferta parantes

Puro ex electo, choreasque in gramine ducunt
 Funeris oblitæ fraterni, & carmina dicunt.
 Quin etiam excitæ vitreis è sedibus omnes,
 Ostiferam Adriaci servant quæ littoris oram
 Succedunt fluvio, radiatæ puppis honores,
 Sed te puppe magis Nereides admirantes.
 In mediis Proteus venturi præsciis ævi
 Fata canit. Fore te, qualem sibi vota piorum
 Effingunt, priscis Heroibus anteferendum:
 Incolumemque diu, incolumi Clemente, gravesque
 Tecum partiri curas, tibi credere sancti
 Arcanos animi sensus gaudente, salutem
 Speratam populis, & mitia jura daturum.
 Quamquam non soli Proteo, Phœboque futura
 Pandere, sed verum de te, Heros inclyte, vatem
 Cuilibet esse licet, cui sit tua cognita virtus.

Te populi, per quos graderis, simul aspexere;
 Attonitis hærent animis, famamque fatentur,
 Ora licet centum exertet, virtute minorem
 Ire tuâ, de te mentitam plura, silendo.
 Votaque concipiunt pro te, tardamque senectam
 Caro optant capiti. Quod si te prisca loquentem
 Gallia, spargentemque manu regalia dona
 Vidisset, plenumque animis atque indole magnâ
 Pro re Romana caput objectare periclis;
 Sacra tibi pulso posuissent Hercule templa.
 Quin æterna tuis sculpisset sidera factis
 Ipsa suæ quamvis miratrix Græcia gentis.
 Et fera quæ Lernæ, quæ cœli parte renidet
 Victa sub Herculeis pestis Nemeæa lacertis,
 Fulgerent, Vir magne, tuæ decora inclyta dextræ,
 Debellata animi tercentum immania monstra,

Ulce

Ulcere quæ affiduo mortalia pectora vexant.
 Non agit Ambitio te, non amor improbus auri,
 Non illa Heroum domitrix, truculentior Hydrâ,
 Quæ tulit Alcidaæ spoliū, malefuada Voluptas,
 Non te fœta malis ingentibus otia, non te
 Per nemorum pelagique minas quæfita palati
 Crimina delectant: non Bacchi pocula Chii:
 Quæ propter Fortunam animæ venerantur inertes:
 Sed labor, & vigiles in publica commoda cura,
 Sed colere ingenuas artes, tribuisse merenti
 Præmia, complecti miseros, opibusque iuvare:
 Polliciti servare fidem, sanctumque vereri
 Nomen Amicitiaæ, atque ad laudem cuncta referre.
 Hæ tibi sunt artes: his tu pacare furentem,
 Et longum servare potes virtutibus Orbem.
 Nam quæ pro Latio, pro religione gerenda
 Clementi Pater omnipotens, tibi munia Clemens
 Mandat, magnanimus Clemens, quem tristia bella
 Rex Superum, horribilesque minas miseratus ab alto
 Demisit, columen fidum mortalibus ægris.
 Exercenda tibi nunc est sub Principe virtus,
 Sub quo illam solers studuisti haurire magistro;
 Artibus egregiis imbutam, & moribus aureis.

At tibi, dum magni perages mandata Parentis,
 Cura sit imprimis Regem exorare potentem,
 Augustum, invictum, sed non pietate minorem:
 Liberet Europam bello, quo justius Afer
 Ardeat: arma ferox Solymaæas vertat ad arces,
 Terroremque Asiaæ, patrum memor, induat ensem.
 Ni faciat; ruere huc Asiam, (ferat omina ventus)
 Et Cretæ everfæ renovatam cotibus hastam
 Barbaricam intendi jugulo nil tale timentis

I

Hespe-

Hesperiaë flens aspicias : Thracumque superbas
Litoribus nostris volitare impunè carinas ;
Claudentes mare quod supra , quodque alluit infra.

Ergo ades , & vasta rerum sub mole labores
Volventi innumeros Patruo succurre : vigentem
Quamquam viribus invenies , viridique senectâ ,
Implentemque suâ venientia sæcula famâ ,
Dum patrio tellurem animo complectitur omnem ;
Non quæ surgentem solùm Titana , cadentemque
Aspicit , aut gelidâ longè porrecta sub Arcto est ;
Sed quæ muta , & adhuc remis ignota Batâvis ,
Axe sub opposito squalet pars ultima rerum.

Ille refert populis Saturnia regna Latinis ,
Pauperiem turpem ; fraudesque & bella relegans ,
Regificamque manum cunctas extendit in oras ,
Natus ad imperium : quamvis pia Præside tanto
Roma careret adhuc , si quid dare grata merenti
Majus in his miseris potuissent Numina terris.

Nunc Urbi populisque parat nova gaudia Clemens ,
Dum tibi Sidonio fucatur lana colore ,
Virtuti meritisque tuis quæ debita pridem ,
Non ullum trahet à consanguinitate ruborem .
Non tu illi charus , quòd eodem sanguine cretus :
Sed quòd idem sentis , quòd eodem duceres astro .
Hinc amor in te Clementis , quem turbinis atri
Nullo posse metu , nullâ pallere ruinâ ,
In communi Urbis docuit formidine nuper
Fama audita tui pacatâ fronte pericli .

Ipse ego magnanimi mores quoque Principis in me
Experior : sibi namque Salus ut publica semper
Magnaque curarum latus agmina circumstant :
Non tamen immemor est nostri , cui præbuit ultrò

Dona, Quirinalesque lares nil tale merenti
 Reddidit, & dare sæpe facris finit oscula plantis,
 Hac quoque re similis, cujus gerit arma, Tonanti;
 Qui tam humiles terras, & quæ nascuntur in illis,
 Quàm cœli immensos orbes, & sidera curat.
 Forsan & hæc olim, si qua illi immunis ab æstu
 Curarum brevis hora vacet; dignabitur aure
 Non furdâ, licet aspectum Clementis, & acre
 Judicium agrestis vereatur Musa subire.

A D

SIGISMUNDUM CHISIUM,
 ALEXANDRI VII. P. M.

ex fratre nepotem.

J Ampridem Gismunde tibi bene nostra precari,
 Et dare Musa cupit carminis obsequium.
 Nam tibi nec quicquam magis est in honore, neque illa
 Majus eo quicquam, quod dare possit, habet.
 Virtute ingentem fortunam & moribus æquas,
 Et celsâ veteres indole reddis Avos.
 Ingenio præstas, & robore mentis ad omnes
 Ingenuas artes, munus ad omne vales.
 Excitat hæc Phœbus cælestia femina cantu,
 Perque jocum Musæ seria sæpe monent.
 Carminibus prisca virtutem aluere parentes:
 Laudis & immensus carmine crevit amor.
 Ah pereat quicumque alios detorsit in usus
 Sancta verecundæ munera Castaliæ!

I 2

Nec